

TITULUS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE. ^a

173. *Nota*, pro intellectu *h. t. servos* in sensu juridico esse homines, qui ex constitutione gentium dominio alieno contra naturam subjiuntur. (§. 2. *Inst. de jur. pers.*) His propinqui sunt *servi adscriptitii*, qui glebæ, seu fundo colendo adscripti, et personaliter obligati sunt; et *originarii*, qui ex adscriptitiis oriuntur: utrique dicuntur *homines proprii*. At *famuli conductitii*, qui pro mercede operam suam locant, reipsa liberi sunt. Quia verò apud christianos, ob reverentiam nominis christiani et fidei, servitus ferè universaliter cessavit, brevibus hic me expediam.

174. Q. I. *An servi, itè adscriptitii et originarii, ordinari possint?*

R. Negativè; ita rubrica generalis *h. t. et Can. 1. et seqq. d. 54.* Nam servitus dedecet statum clericalem, et ordinatio præjudiciosa est dominis. Idem dic de libertis obligatis ad obsequia personalia, nisi ea dominus remittat (*Can. 7. d. 54.*) In quo, jure communi, præter Papam alius dispensare nequit.—Minorista sine consensu domini ordinatus, ei restituendus est, et manet servus (*c. 2. h. t.*) Si Episcopus scienter sacros ordines contulit servo, tenetur domino dare alios servos æquè bonos vel eorum æstimationem; secus, si nescivit esse servum. Tunc enim ordinatus ad idem præstandum tenetur (*Can. 19. d. 54.*), et si satisfacere nequit, subdiaconus vel diaconus deponitur, et redactus in servitutem domino restituitur: Presbyter verò ob honorem sacerdotalem in gradu permanet, sed amissione peculii mulctatur (*Can. 9. d. 54.*) Quod si ordinatio, scientè et non contradicente domino, facta est, ordinatus evadit liber (*Can. 20. d. 54.*); quia ex dispositione juris præsumitur absolutè à domino manumissus.

175. Q. II. *Quid juris, si servus religionem profiteatur, inscio domino?*

R. Si monasterium ignoravit esse servum, intra triennium tenetur eum restituere domino repetenti, fide tamèn accepta de immunitate (*c. fin. 17. q. 2.*); restitutus autèm manet obstrictus votis. At si prælatus scivit esse servum, hic non restituitur, sed Pælatus tenetur pro eo satisfactionem præstare secundùm boni viri arbitrium: professus verò evadit liber, et ordinari potest.

^a—Agitur de hac materia in *Decr. d. 54.*—Plena vero notitia de servis petenda est ex jure civili in *Instit. lib. 1. tit. 4. et seqq.*—In *Pandectis lib. 1. tit. 5. 6. lib. 40. per tot.*—In *Codice lib. 6. tit. 1. usque ad 8. lib. 7. tit. 1. usque ad 20.*

TITULUS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON. ^a

176. *Nota*. Illi dicuntur obligati ad ratiocinia, qui tenentur ad reddendas rationes propter alienorum bonorum administrationem; vel *publicam*, uti curiales regni, et communitatum; vel *privatam*, uti tutores curatores, exequutores testamentarii etc.

177. Q. I. *An obligati ad ratiocinia publica vel privata, antequàm his satisfaciant, ordinari possint?*

R. Negativè, *c. un. h. t.*; quod licèt loquatur de procuratoribus seu administratoribus, tamèn propter identitatem rationis, comprehensivè extenditur ad eos, qui ex aliquo officio vel negotiatione seculari aliis obstricti sunt; ut miles (*Can. un. d. 53.*), vasalli obligati ad obsequia personalia (*arg. Can. 2. credo 21. q. 3.*) Ratio sic statuendi fuit, ne Ecclesia variis exindè litibus vexetur, et quia talium ordinatio esset principalibus in præjudicium. Compositis autèm rationibus, vel si aliter solvi nequit, cessis bonis, non prohibentur administratores ordinari, uti nec alii debitores per se loquendo, si quid ex alio titulo debeant, ut mutuo, conducto etc., cum id nullo jure caveatur.—Nec obstat *leg. 6. §. de muner. et honor.*, quia jure civili irregularitas ad ordines induci non potuit.

Licet cessio bonorum facta fuerit absque ignominia, et absque eo quod cedens bonis pilleum viridem, aut aliud ignominie signum deportaverit, ideòque infamis dici nequeat juxta Baldum ad textum in lege, *Debittores (Cod. de quibus causis infamia irrogatur)*, non est tamèn ordinandus ob periculum, quod bona, post cessionem ipsi assignata titulo patrimonii sacri, à creditoribus occupentur: per cessionem enim bonorum quis minime liberatur ab ære alieno, si ad pinguiorem fortunam devenerit; cum juxta textum in cap. *Pervenit, de fidejussor.* à creditoribus ex defectu bonorum propriorum Clerici occupari possint nedùm fructus patrimonii, sed etiàm beneficii et præbendæ, relicta tamèn congrua; ut his innixa rationibus resolvit *Congreg. Concil. (23. Jun. 1725 in Atrien. ut in Thesau. Resolut.)*

Id etiàm cautum est in cap. *Odoardus-de solut.*, quo statuitur, ne clericus propter æs alienum in carcerem detrudatur, nec excommunicetur; sed ut præstet idoneam cautionem de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit: nec oportet ad effectum hoc beneficio fruendi, ut bonis cedat; ne scilicèt clericali statui ignominia irrogetur, juxta *Abbatem in d. cap. Odoardus n. 8. Ancaran. n. 7. Fagnan. n. 58 de solut. et Bellet. disquisit. Clericorum par. 1 de Clerico debitore §. 1 num. 35.* Ex quibus colligitur, quod cessio bonorum infamiam importet, non juxta hominum opinionem tantùm, sed etiàm juxta sensum Ecclesie.

^a—Agitur de hac materia in *Decreto d. 51. et 53.*

Vide notata in summarii lib. II. tit. 8 de dilation. post cap. *Exposuit 4 et lib. III. tit. 23 de solut. post cap. Odoardus. 3.* **

478. Q. II. *An officia, et administrationes Clericis permissæ impediunt susceptionem ordinum?*

R. Negativè: nam quod Clericis est permissum, statum clericalem impedire non debet, cum circa hoc, jus non extet prohibitorium. Undè ordinari possunt:—1.º Principum cancellarii, consilarii, imò et causarum civilium auditores.—2.º Administratores honorum Ecclesiæ, vel alterius piæ causæ.—3.º Tutores, curatores et procuratores miserabilium personarum, ut pupillorum, viduarum etc.—4.º Habentes tutelam legitimam agnatorum. Cum obligatis ad ratiocinia solus Papa dispensare potest; sed non solet ob præjudicium principalium.

TITULUS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON. *a.*

479. *Nota.* Est hic titulus alius à tit. *de Clerico ægrotante, vel debilitato:* in illo enim tractatur, an Clericus ægrotus amittere debeat beneficium actu obtentum; in hoc autem disponitur, an habens vitium corporis possit ordinari, vel in suscepto ordine ministrare.

480. Q. I. *Qui corpore vitiati sint irregulares, quos non decet ad statum clericalem admittere?*

R. 1.º *Mutilati*, seu carentes membro principali, ut est oculus, nasus, pes etc.; vel si careant pollice, aut indice ad sacrificandum necessario: itè qui in se ipsos sævientes ad injuriam Creatoris sibi digitum abscindunt, aut aliam partem; vel continentia aut vocis causa se castrari voluntariè sinunt (*c. 6. h. t. c. 4 et seqq. d. 55.*) Ad mutilatos autem non pertinent, qui in cunis, vel non voluntariè castrati sunt, vel qui partem digiti, aut alterius membri amiserunt, modò non adsit notabilis deformitas (*c. 4 et seqq. h. t.*); imò carens ungula pollicis, si adhuc fortis sit ad frangendam hostiam, licitè promovetur ad Sacerdotium (*c. fin. h. t.*)—2.º *Debilitati*, seu habentes membra aliqua inepta ad functiones ordinum, uti sunt manci (*c. 6. h. t.*), pedibus capti, ut ad altare stare nequeant (*c. 57 dist. 1 de Cons.*), surdi et muti, cæci utroque oculo, vel sinistro tantum seu canonico, carentes digitis canonicis, abstemii qui omninò non possunt vinum bibere etc.; itè omnes laborantes morbo incurabili, ac furiosi, amentes arreptitii, seu à dæmone obsessi, lunatici, frequentem vomitum patientes, leprosi, paralytici, et epileptici, qui cum vix unquam perfectè curentur, arcendi sunt ab ordinibus.—3.º *Deformes*, seu laborantes notabili macula, defectu, aut excessu alicujus membri, ut sine horrore aut risu conspici

a.—Agitur de hac materia in Decreto *d. 49 et 53.*

non possint, ut truncati naribus, aut auriculis, si capillus deformitatem non tegat; claudi, et gibbosi: si tamèn claudicatio et gibbus non affert notabilem deformitatem, non obest ordinationi; itè monstruosi, ut gigantes, nani, duo capita, quatuor brachia, sex digitos, vel tres, aut quatuor in una manu habentes: hermaphroditi, et quicumque alii ita deformes, ut horrore sint intuentibus.

Quoad defectum staturæ parvæ nihil præcisè in jure statutum legitur; est enim tantum generalis regula, quod ille defectus causet irregularitatem, qui congruum ordinis exercitium impedit; aut qui notabilem deformitatem, horrorem præferentem, et ad risum moventem affert: cum de cætero et Paulus Apostolus ad eam parvæ fuerit staturæ, ut Jo. Chrysost. eum appellaverit tricubitalem; sic S. Hieronymus, sic S. Antoninus, qui propterea hoc diminutivo nomine appellatus fuit, ut legitur apud Theophilum Raynan. (tom. 13 in opere, cui titulus-Laus Brevitatis-pag. 485.) Verùm, an hic defectus aut impediatur ordinis exercitium, aut risum, vel horrorem afferat, judicium pertinet ad Ordinarium, ex Decreto Cong. Conc. (12. Jul. 1721 in Marsicana in Thes. Resol.)

De omninò cæco Bened. XIV. (Instit. Eccl. 34. §. 2.) probat ex decretis ejusdem Cong., neque ad primam tonsuram admitti posse."

482. Q. II. *An vitium corporis ordinibus susceptis superveniens inducat irregularitatem?*

R. Non inducere simpliciter, sed tantum secundum quid, scilicet, quoad illum actum ordinis, quem sine periculo, vel ob magnam deformitatem, sine scandalo et irreverentia, ordinatus exercere nequit. Sic Sacerdos, amisso digito canonico, potest confessiones audire, concionari etc. (*c. 2 de Cler. ægrot.*) ibi: *Ipsium autem ceteris officii sacerdotalibus fung: minimè prohibemus.* Excipe, nisi vitium corporis oriatur ex proprio delicto, cui annexa est irregularitas simpliciter talis, ut si clericus se mutilaret (*c. 4. d. 55 et c. 5 ne Clerici.*)

483. Q. III. *Quis super irregularitate ex vitio corporis orta judicare, determinare et dispensare possit?*

R. 1.º In dubio, an deformitas et alius defectus corporeus sit sufficiens ad inducendam irregularitatem, judicare et determinare est Episcopi (*c. 2. h. t. Can. 3. d. 33.*) ibi: *per discretionem Episcopi:* quod probabilius procedit etiam quoad Regulares exemptos ordinandos; quia Episcopus non tenetur eos ordinare, si judicet vitium corporis ad eam esse grave, ut licitè non valeant ad ordines admitti.

2.º In vitio ordinibus susceptis superveniente, etiam Prælati Regularis saltè exemptus judicare et determinare potest, an inducat, vel non irregularitatem. Reiff. Schmalz. et alii communiter: nam per *c. 3 de priv. in 6.* Prælati Reg. in suos religiosos habet jurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem; ergò ipsius est judicare et determinare, an defectus corporeus generet scandalum vel irreverentiam, ob quam religioso vel simpliciter, vel saltè in publico prohibeatur exercitium ordinis. Sacerdotes epileptici, seu caduco morbo laborantes, si perfectè curati sunt, admitti possunt ad celebrationem missæ; si verò liberati non sunt, sed raro casum epi-

lepticum patiuntur, privatim celebrare poterunt, adjuncto eis sacerdote, qui missam in defectu perficere possit. Schmalz. et alii. Profacienda experientia liberationis assignatur unius anni spatium (*Can. 3. d. 33.*), nisi ex medicorum iudicio aliud videretur.

3.^o Directè dispensare in hac irregularitate corporis solus Papa potest: non tamèn solet, sed plerùmque rescribit Ordinariis, ut ipsi dispensent, si non est tanta deformitas, quæ scandalum et gravem irreverentiam generet (*c. 2. h. t.*) Episcopus in vitio notorio de jure communi non dispensat, sed solum declarat, an vitium impediatur susceptionem vel executionem ordinis. At si vitium est occultum, dispensare potest in irregularitate, ex Trid. (*sess. 24. c. 6 de reform.*), quod idem possunt Prælati Regul. cum religiosis subditis vi privilegiorum.

TITULUS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS. ^a

184. *Nota*, bigamiam, seu digamiam esse successivam matrimonii iterationem; et distingui à polygamia, quia hæc pluralitatem uxorum simultaneè habet. Est autèm in jure can. bigamia triplex. *Vera*, dum vir successivè cum duabus matrimonium contraxit et consummavit. *Interpretativa*, dum vir reipsà cum una contrahens, fictione seu interpretatione juris censetur cum duabus contraxisse et consumasse matrimonium, ut si viduam ducat etc. *Similitudinaria*, dum vir post susceptum sacrum ordinem, vel emissam professionem religiosam, de facto (non de jure propter impedimentum dirimens) init, et consummat matrimonium cum una virgine.

185. Q. I. *An bigamia vera inducat irregularitatem?*

R. Affirmativè; ex rubrica negativa *hoc tit.* et Apostolico præcepto 1. *Timoth. 2. Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Quia Ecclesia propter eminentiam status clericalis voluit, ut Episcopi et alii clerici significant perfectam unionem Christi cum Ecclesia, sponsi unici cum sponsa unica; sed bigamia consummata, qua caro dividitur cum pluribus affectu maritali, licèt significet unionem Christi cum Ecclesia, non tamèn significat perfectam, seu modo perfecto tanquàm unici sponsi cum unica sponsa, ut de se patet; ergò bigamia habet defectum hujus perfectæ significationis; et ex tali defectu oritur hæc irregularitas. Et quia defectus iste perseverat, etiàm post baptismum adultorum, necessariò sequitur etiàm illum fieri irregularem, qui in infidelitate duas uxores habuit, vel unam ante baptismum, et alteram post, ut decidit Innocent. Papa (*Can. 3 d. 26.*) et S. August. (*Can. 2 ibid. et Can. acutius 28. q. 3.*) quibus cedere debet

^a.—Agitur de hac materia in Sexto *h. t.*—In Decreto *d. 26. 33. 34. et Can. quicumque d. 77. et 28. q. 3.*—In Trid. *Sess. 23. c. 17. in fin.*

auctoritas S. Hieron. oppositum sentientis. (*Can. 1. d. 26. et Can. 1. oportet 28 q. 3.*)

Dices: 1.^o Unio Christi cum Ecclesia duabus habet perfectiones: *virginitatem*, et *fecunditatem* spiritualium filiorum, quia Christus virgo est, et Ecclesia virgo est, uterque tamèn fecundissimus spiritualium filiorum; ergò clerici in matrimonio antè contracto debuissent esse virgines, et simul fecundi; quod tamèn non reperitur, nisi in matrimonio B. V. et S. Josephi. —2.^o Qui in infidelitate occidit auctoritate publica, vel privata, post baptismum non fit irregularis ex omnium sententia; ergò nec ille, qui prius duas uxores habuit.

R. *ad 1.^m* Ecclesia, ex suppositione quod aliqui Clerici non sint virgines, requirit in eis monogamiam, ut saltèm unam perfectionem *fecunditatis* significant, scilicèt Christi sponsi unici fecundi cum Ecclesia sponsa unica fecunda; cum matrimonium fecundum, quale fuit B. Virginis cum S. Josepho, naturaliter non sit compatibile cum virginitate. Plura de his vide in Bellarm.—*Ad 2.^m* Occidens in infidelitate nec deliquit contra lenitatem christianam, nec violabit legem ecclesiasticam; adeoque nullam irregularitatem post baptismum exindè contrahit: econtrà habens duas uxores defectum perfectæ significationis retinet, non secus ac defectum corporis ille, qui fuit cæcus, vel mancus; ergò suscepto baptismo, statim in eo oritur irregularitas ex defectu, sicut si infans natus est illegitimus, vel membro destitutus, qui defectus utique non purgatur per baptismum. Ex his plura similia solvuntur.

186. Q. II. *An, et in quibus casibus bigamia interpretativa inducat irregularitatem?*

R. Affirmativè in seqq.:—1.^o Si quis viduam duxit, et cum ea matrimonium consummavit (*c. 17. Apostolorum, c. 2. d. 33. c. 3. h. t.*).—2.^o Qui inivit alterum matrimonium, vel duo successivè ex aliquo impedimento invalida, et illa affectu maritali consummavit (*c. 4. h. t.*); nam in his casibus vel non adest, vel propter affectum maritalem contrahentis à jure fingitur non adesse perfecta significatio sacramenti.

Ad hanc irregularitatem reducuntur alii duo casus: si quis duxit fornicariam à pluribus cognitam, vel cognovit uxorem suam adulteram (*C. 11. 12. 13. d. 34.*) Causa hujus irregularitatis non est defectus significationis, cum nec fornicaria, nec adultera carnem suam affectu maritali dividerit in plures, ut supponitur; sed causa est sola indecentia specialis, quia ex iudicio Ecclesiæ, turpe est clerico habuisse vel habere uxorem fornicariam, vel adulteram; ob quam causam, etiàm is qui duxit ancillam, seu servam, vel actricem comædiarum, fit irregularis (*cit. c. 15. d. 34.*) Econtrà, quia virgini non est turpe habere virum clericum, qui cum alia fornicatus est, ideò vir ex causa fornicationis vel adulterii, non fit irregularis (*c. 6. h. t.*) Cui non obstat *c. 2. d. 33.* ubi dicitur irregularis, qui *unam quidem, sed concubinam matronam habuit*: nam sermo est de concubina à pluribus cognita; vel si jure antiquo concubinitus inducebat irregularitatem, ei derogatum est per *cit. c. 6. h. t.*—Alia ratio, cur vir fornicarius non fiat, ducens verò meretricem fiat irregularis, adduci solet ex S. Thoma: quia actiones speci-

ficantur à termino *ad quem*: ergò si mulier tanquam terminus *ad quem*, carnem suam divisit, etiàm vir eam ducens et cognoscens fingitur carnem suam divisisse. Sic ex opposito, si mulier esset capax ordinum, nubendo viro fornicario fieret irregularis.—Quæ ex causa peccati hic opponi possent, non sunt efficacia; nam vir ex delicto commodum non reportat, sed propterea puniri potest; est autem immunis ab irregularitate, quia nullus est defectus significationis sacramenti.

187. Q. III. *An bigamia similitudinaria inducat irregularitatem?*

R. Affirmativè, (*c. fin. h. t.*) Nam clerici in sacris, et Religiosi professi per votum solemne castitatis contrahunt quoddam conjugium spirituale cum Deo, Ecclesia, et Religione; ergò si attentent contrahere matrimonium carnale et illud consummare, meritò ab Ecclesia notantur irregularitate bigamiæ (*c. 24. et 32. caus. 27. q. 1.*)—*Nec obstat*, quod tale matrimonium reipsa sit nullum, adeoque non præstet impedimentum per *reg. 52. in 6.*; nam quoad irregularitatem *in matrimoniis contrahendis, non juris effectus, sed animi destinatio attenditur (c. 4. h. t.)*

188. Q. IV. *Qui immunes sint ab irregularitate bigamiæ?*

R. 1.º Qui contraxit sponsalia de futuro cum duabus, etsi secuta fuerit copula fornicaria.—2.º Qui duxit alteri desponsatam virginem.—3.º Qui cum duabus contraxit de præsentì, sed cum una consummavit matrimonium: nam in his et similibus casibus, cum caro non sit divisa affectu maritali, nec irregularitati bigamiæ est locus.—*Nec obstat Can. 9. et 40. d. 34. et Can. 4. qualis 30. q. 5. et Can. 2. d. 33;* nam procedunt de muliere ab alio corrupta.

189. Q. V. *Qui dispensare possit in irregularitate bigamiæ?*

R. 1.º Papa quidem potest, sed non solet ob reverentiam præcepti Apostolici, nisi ex urgentissima causa. (*c. 2. 3. h. t.*) *Nec obstat*, quod Apostolus monogamiam requirat in clericis: nam licet omnia in Sac. Scriptura expressa cadant sub fidem; non tamèn omnia sunt juris divini, sed multa juris humani; uti illa, ne Episcopus sit percussor, ne bigamus etc.—2.º Episcopus in irregularitate bigamiæ veræ, vel interpretativæ, non potest dispensare ad ordines minores et beneficia simplicia. Ità communior DD. ex jure novo *Trid. sess. 23 c. 47. in fin. de ref.*, ubi hoc per expressam exceptionem, *dummodò non bigami*, prohibetur. Quod ipsum, teste Garcia, declaravit Sac. Congreg. Concil. (30 Januarii 1589.), et approbavit Sixtus V. conformiter *Can. 59. d. 50. c. 2. h. t.*; quibus juribus cedere debet *Can. 18 a. 34.* Si tamèn talis irregularitas occulta esset, in ea dispensare posset Episcopus (vide *Trid. sess. 24. cap. 6. de reform.*) Ex his explicandus est S. D. qui scripsit ante *Trid. in 4. dist. 27. quæst. 3. a. 3.*—3.º In bigamia similitudinaria pura, si clericus in sacris, vel monachus, attentatum cum virgine matrimonium consummavit, dispensare ad exercitium ordinum potest Episcopus, et Prælati Regularis, (*c. 4. de Cler. conjug. et c. 1. qui Cler. vel voventes*); ubi talis dispensatio permittitur post peractam pœnitentiam: nam hæc irregularitas non oritur ex defectu, sed ex delicto; in hac autem facilius dispensatur, quàm in illa.—Ceterum in supplicatione dispensationis exprimenda est qualitas bigamiæ, an vera, an interpretativa,

an similitudinaria sit; non verò an supplicans sit trigamus, vel quadrigamus, cum æquè irregularis sit bigamus ac trigamus.

190. Q. VI. *Quæ sit pœna ordinantis bigamum, et bigami ordinati?*

R. 1.º Ordinans suspenditur è collatione ordinum, quos bigamo contulit, et à celebratione missæ per annum (*Can. 2. d. 53.*); quæ tamèn pœna est ferendæ sententiæ (*c. 2. h. t.*) ibi: *Ordinatores sint privandi potestate ordinum.*—2.º Bigami ordinati privantur executione omnium ordinum, etsi uxor moriatur *ibid.*—3.º Minoristæ sæculares bigamiam veram vel interpretativam contrahentes, privantur omni privilegio clericali, et jurisdictioni sæculari subiciuntur, (*cap. un. h. t. in 6.*) Constituti verò in sacris, privilegia clericalia retinent, nisi degradentur, seu manent perpetuò suspensi (*cit. cap. 2. hoc tit.*) Idem dic de Regularibus, si contracta bigamia vera vel interpretativa, ordinati sunt.

TITULUS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS. a.

191. *Nota*, hunc titulum esse diversum à tit. *de clericis peregrinantibus, lib. 2.* Nam in isto agitur de Clerico proficiscente Romam ex causa appellationis, vel visitandi sacra limina; at in præsentì agitur de clericis vagis et ignotis, an, et quomodò admittendi sint ad susceptionem, vel executionem ordinum.

192. Q. I. *Quid in hoc titulo statuatur circa clericos peregrinos?*

R. 1.º Hi non sunt promovendi ad superiorem ordinem, nisi præter dimissorias adferant etiàm *formatas*, seu ordinum susceptorum testimonium, (*c. 1 h. t.*), ubi illius forma præscribitur.

2.º Non sunt admittendi, etiàm apud Regulares exemptos, ad divina celebranda et sacramenta ministranda, nisi afferant *commendatitias*, ex quibus constet non tantum de legitima ordinatione, et carentia impedimentorum canonicorum, sed etiàm de moribus et doctrina (*cap. 1 hoc tit. et c. 7. d. 71.*) Imò Episcopus prohibere potest Regularibus, etiàm cum censurarum inflictione, ne in suis Ecclesiis permittant sacerdotibus sæcularibus exteris missam celebrare, nisi prius hi ab eodem Episcopo, visis eorundem litteris commendatitiis, admissi fuerint, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relat. à Bened. XIV. (*Instit. Eccl. 34. §. 1 et lib. IX de Synod. diæces. 15. n. 5.*) Tales litteras Episcopus tenetur dare, si petantur ex causa rationabili, ut propter salutiferam peregrinationem, domicilium, vel diocesium mutandam. Ità etiàm decisum legitur à d. Cong. (22

a.—De hac materia agitur in Decreto d. 71, 72, 73, ubi de dimissoriis et d. 98. item 7. q. 1.—In *Trid. Sess. 22. c. quanta §. deinde et Sess. 23. c. 16. v. nullus de ref.*

Nov. 1749 in Segn. Decretorum, ut in thes. resolut.)^a Secus, si iter fiat ex levitate, et Episcopo insalutato; quo sensu procedit *c. 23 si qui 7. q. 1. et c. 35. d. 5. d. consecr.* Quod si clericus casu aliquo, v. g. per naufragium etc. amiserit dictas litteras, et per testes cum fama communi probaverit suam ordinationem, admitti poterit ad divina celebranda. Solum autem juramentum non sufficit, nisi ad privatim et sine stipendio celebrandum, si nulla sit præsumptio falsitatis; quia tunc, si sacerdos non est, non decipit populum, sed se ipsum (*c. 2. 3. h. t.*) Item circa tales peregrinos observanda sunt statuta particularia cujusque diocesis.

3.^o Prælati Ecclesiarum Episcopo subjectarum sine ejus consensu non possunt conferre beneficia Clericis alienæ diocesis, præsertim curata *c. fn. h. t.*

Postquam compiler egisset de ordinationibus clericorum, et impeditis ordinandorum, transit ad varia clericorum officia, ut Archidiaconi, Archipresbyteri, etc. Quia verò circa hæc officia plerumque attenditur consuetudo Ecclesiarum, et non jus commune, ideò breviter de his agam.

TITULUS XXIII USQUE AD XXVII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI, ARCHIPRESBYTERI, PRIMICERII, SACRISTÆ, ET CUSTODIS. ^a

493. Q. I. *Quid statuatur circa Archidiaconum?*

R. 1.^o Archidiaconatus de jure communi est prima dignitas post Episcopalem (*cit. c. 1. d. 25 et c. 7. h. t.*); ubi Archidiacono attribuitur jurisdictio pro foro externo. Licet enim Archidiaconus ordine sit inferior Archipresbytero, jurisdictio tamen et dignitate est superior, et ideò dicitur *oculus et vicarius natus* Episcopi, definiturque; persona in ecclesiastica dignitate constituta, vices gerens Episcopi in gubernanda diocesi, omnemque curam habens circa clericos et eorum Ecclesias (*cit. c. 7 h. t.*) Quo modo differat à Vicario generali Episcopi, infra *tit. 28* dicitur.—2.^o In Archidiacono, tanquam principe diaconorum requiritur et sufficit ordo Diaconatus: et quia plerumque curam animarum habet in foro externo, requiritur in eo annus vigessimus quintus inchoatus, et scientia eminens magistri in Sac. Theologia, vel Sac. Cann. (Trid. *Sess. 24. c. 12 de ref.*)—3.^o Officium et potestas illius describitur *c. 1 et seqq. h. t.*; causæ autem graviores subductæ sunt ei, et attributæ Episcopo per Trid. (*Sess. 23. c. 3, 18, 20, et Sess. 24. c. 5 de refor.*), ut visitare diocesim, examinare ordi-

^a—Agitur de Archidiacono in Decreto *c. 1. d. 25. §. ab Archidiacono c. 8. d. 74 et c. fn. d. 94*—de Archipresbytero *c. 1. d. 25. §. Archipresbyter vero*,—de Primicerio *ibid. et c. 1. d. 21 et d. 91*—de Sacrista *cit. c. 1. d. 25*—de Custode *d. 93*

andos, judicare causas beneficiales, matrimoniales, concubinas, et alias criminales.—Hodiè in quibusdam cathedralibus nec nomen est Archidiaconi: alicubi nomen quidem est, sed non dignitas cum potestate et jurisdictione.

194. Q. II. *Quid statuatur circa Archipresbyterum?*

R. 1.^o Archipresbyter, seu princeps sacerdotum de jure communi est, qui regit ceteros presbyteros in his, quæ sunt sacerdotalis officii (*c. 1 h. t.*). Aliter vocatur *decanus*: et quidem in Ecclesia cathedrali vel collegiata est *decanus urbanus*, seu *civitatensis*, qui præest clericis et parochis in civitate existentibus; extrà verò est *decanus ruralis*, seu *foraneus*, qui præest clericis extra civitatem Episcopalem degentibus.—2.^o Archipresbyteratus, seu decanatus non est dignitas propriè talis, cum ei non sit annexa jurisdictionis fori externi. Quæ verò sit potestas et officium Archipresbyteri consulenda est consuetudo locorum: quid autem possit et debeat de jure communi habetur *c. 1 et seqq. h. t.*

195. Q. III. *Quid statuatur circa Primicerium?*

R. Primicerius, primus in cera seu tabula cerata inscribi solitus, est cantor, qui præest diaconis et inferioribus clericis in docendo, cantando, et lectiones assignando.—Aliter vocatur *Scholasticus*, qui dignitatem propriè non habet cum jurisdictione fori externi, sed quamdam præeminentiam cum administratione et correctione (*c. 1 h. t.*)

196. Q. IV. *Quid statuatur circa Sacristam, seu Thesaurarium?*

R. Sacrista est, qui immediatam curam habet sacri thesauri, ut calicum, candelabrorum etc. (*cap. un. h. t.*) De jure communi obtinet purum officium sine ulla jurisdictione et præeminentia.

197. Q. V. *Quid statuatur circa Custodem?*

R. Custos est quasi minister sacristæ, cujus officium est custodire utensilia ecclesiæ, dare signum pro divinis officiis, panem et vinum, et alia ad altaris ministerium parare (*c. 2. h. t.*) Hodiè officium custodis majori ex parte translatum est in aedituos.

TITULUS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII. ^a

498. Nota I. *Vicarium* in divinis et beneficiis esse illum, qui in cura animarum ac divinis ministeriis vices alterius gerit. Et hic, vel est *perpetuus*, qui canonicè instituitur in aliqua ecclesia, assignata sibi congrua portione

^a—De Vicario Parochi, et Papæ agitur *h. t.*, de Vicario generali Episcopi *h. t. in Sexto*.—Item in Decreto *Can. 22. in nona 16. q. 7. et sparsum in d. 93. et 94.*—In Trid. *S. 6. c. 2. S. 7. c. 5. S. 21. c. 6. S. 23. c. 16. de refor.* ubi de Vicariis paroch. et *S. 24. c. 16. et 18. de refer.* ubi de Vicar. Episc. capituli, et paroch.